



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

De natura, & discrimine inter locos Theologicos. Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

De natura, & discrimine, inter locos Theologicos.

CAPVT I.

I.

Augustinus.

Locum esse thesaurum argumentorum ad faciendam fidem constat ex Rhetorica, ac Dialectica, omnis autem persuasio autoritate, vel ratione nititur: & ideo ad discendum, ut ait August. lib. 2. de ordine cap. 9. autoritate ducimur, & ratione: autoritas fidem flagitat, & ratione pręparat hominem: ratio ad intellectum, cognitioneq; perducit, ut asserit idē Aug. lib. de vera religione c. 24. Et quāquam ratio antiquior, ac prior, quia in ipsa rerū natura fundatur, autoritas ordine doctrinę pręcedit, aperitq; ianuam ad disciplinas: quas, cum pręeunte autoritate acquirere homo cęperit, tunc demum discet, & quanta ratione sunt prędita ea ipsa, quę sequutus est antē rationem, & quid sit ipsa ratio, quam post autoritatis cunabula firmus, & idoneus sequitur, atq; comprehendit. Ratio huius est, quoniam hominū animus crassus ignorantię tenebris opacatus non potest primo intuitu in ipsam veritatis lucem aciem intendere, nisi sub autoritatis vmbra, ideoq; merito Apostolus antiquorum Patrum autoritatem nubem appellat, habentes, inquit, ad Hebręos 12. *impositam nubem testiā*, quia verum testimonium quasi nubes ipsos veritatis radios mitiores quodammodo ad mentis oculos traducit, hoc idē rectē notat D. Augustin. lib. de moribus Ecclesię Catholice c. 2. his verbis: *quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum, vitiorumq; velatur perspicuitati, sinceritatiq; rationis aspectum idoneum intendere nequeunt saluberrimē comparatum est, ut in lucem veritatis aciem tribuantem, veluti ramis humanitatis opacata inducat autoritas*, quod si verū est in ijs sciētijs, quas homines naturali discursu ratiois acquirere possunt, quanto certius existimādum est in ea, quę est sup̄a vires, sup̄a lumen naturale intellectus, cuius ianuā non nisi credentib. aperitur? Nam, si prima principia naturalium scientiarum ianuas meritō appellauit antiquitas, iure optimo fides Theologię ostium dici potest. Nec verō mens nostra vitur autoritate deserta à ratioe, nam cum sit rationalis, nunquam actus eius sine vera, vel saltem apparente ratione reperitur. Dupliciter autem considerari potest vsus rationis in ordine ad scientiam: vel quatenus rectitudinem discursus considerat, & quoad hoc assensus omnis discursus ra-

ad Hebr. 12.

Augustinus.

tionē gignitur, est enim discursus maximē proprius actus rationis: vel quatenus prębet assensum principijs, quę sunt causę assensus conclusionis: & his quidem absque vlla omnino ratione, vel motiuo assentiri impossibile est: & cum ex autoritate mouetur ad assensum, hoc ipsum ex ratione est propter quod dixit Diuus Augustin. lib. de vera religione cap. 24. nec ipsam autoritatem deseri à ratione, cum consideratur, cui sit credendum; nam hęc etiā ratio suum locum habet, quatenus expendit autoritatem dicentis an digna sit, cui credatur: sed enim ratio, quam Theologi ab autoritate distinguunt, non hoc modo sumitur, sed pro principio aliquo, siue motiuo assentiendi sumpto ex natura rei subiecta quauis autoritate dicentis: quę ideo ratio appellatur quoniam innotescit ex studio rationis, cuius testimonio innititur assentiens, non verō alieno.

Augustin.

II.

Albert.

Augustin.

Augustin.

scriptu-

scripturarum diuinarum auctoritatem firmamentum appellat, sic enim lib. 13. confess. cap. 15. *quis nisi tu Deus noster fecisti nobis firmamentum auctoritatis super nos in scriptura tua diuina.* Notandum verò cur appellet firmamentum super nos: nimirum quia principia ea, quæ mens suapte vi, & lumine naturalipercipit, sunt quidem firmamenta, quibus eius scientia nititur, verum non super ipsam, quia captum eius non excedunt: sed quodammodo infra ipsam, quia de ipsis iudicat reducens, atq; expendens ea ad primam mensuram naturalem veritatis: at principia ex auctoritate diuina sumpta, quia superant captum intellectus creati, nec veniunt in examen veritatis, sed captium redigunt intellectum in obsequium fidei, sunt quidem firmamenta assensuum subsequen-
tium, qui ex illis per discursum gignuntur, sunt tamen supra mentem.

III. Ex quo sumitur ratio à priori huius differentia, non enim idè Theologia non utitur ratione, quia non sit, sed quia fugit aciem mentis nostræ: nam vt benè notat D. Thomas super Boetium de trini. quæst. 1. ar. 4. ad 7. explicās testimonium Richar. de Sanct. Victo. dicentis omnia necessaria, quæ fide creduntur, habere suas rationes, non solum probabiles, sed etiam necessarias, nulla omninò est veritas complexa, cuius non sit aliqua assentiendi ratio: nam, si per se nota est, assensu exigit ex sola penetratione terminorum: si eiusmodi non est, causam, siue rationem habet à priori, propter quam vera sit: atque adeò ipsæ veritates, quas ex fide credimus, vel discursu Theologico probamus, rationes habent: quas si mens nostra clare, distincteq; perciperet, testimonio fidei, vel discursu ex principijs creditis non egeret. sumitur itaq; distinctio ex proportionem intellectus humani ad penetrandas rationes, ac principia scientiarum naturalium, & improportionem ad supernaturalium rerum causas, & principia perscrutanda, hoc notat August. lib. 6. confess. c. 5. *cum essemus, inquit, infirmi ad agnoscendum liquidarationem veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate sacrarum literarum, id credere ceperam, &c.* idè auctoritatis opè requiritur, quia ratio non sufficit.

IV. Hinc patet Theologiam ex vtriusq; locis argumenta depromere, argumentatur enim ab auctoritate, quæ inter argumenta remota continetur, item à diffinitione, à causis, ab effectibus, quæ ad initia pertinent. Nam ex diffinitione fidei tradita à Diuo Paulo ad Hebræos 11. *sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium,* colligit sine fide non dari spem, quo-

nam hæc illa, quasi fundamento nititur, item de ijs, quæ in prospectu sunt, non esse fidem, à causa argumentatur Diuus Paul. 1. ad Cor. 15. cum ex Christi resurrectione nostram probat: ab effectu Christus, cum ex miraculis propria virtute factis probat se esse Deum *si mihi non creditis, operibus credite,* Ioan. 10. itaq; vltus singulorum locorum, qui à Dialecticis traditi solent, non minùs est familiaris Theologo, quam naturalium scientiarum peritis: quod fusè ostendit Ioachim Perionius lib. 1. Topicorum Theologicorum. His verò ipsis aut utitur ex auctoritate, aut vt solo naturali lumine cognitis: si primò modo reducendi erunt ad diuersos locos auctoritatis: si posteriore ad locum ex ratione, cuius agnitio quoniam à scientijs naturalib. supponitur, nò est cur fusius à Theologo explicetur. Potest autem sumi locus Theologicus propriè, & communiter, siue minùs propriè: locus Theologicus propriè dictus est thesaurus argumentorum de rebus diuinis infallibilis auctoritatis sigillo munitus: nam licet ex alijs quoque principijs Theologus discurrat, vt in progressu constabit, hoc solum est proprium ac necessarium: nam si cætera ad sint, desit autem auctoritas infallibilis, non est argumentum Theologicum ex principijs, est verò si hoc adsit, etiam si cætera desint; communiter accipitur locus Theologicus, prout continet quoduis argumentum aptum ad probandam conclusionem Theologicam, siue sit omninò certum, siue non: & hoc modo sumitur quando diuiditur à Theologis, in eademq; acceptione eius diuisionem prosequar.

Autoritas verò omnis, vt ait Augustin. lib. 2. de ordine cap. 9. vel est diuina, vel humana, seu potius creata: diuina in sua radice vnica est, & quoad veritatis immobilitatem semper eadem, quocunque enim varietur penes modos, quibus applicatur semper habet infallibilitatem: verum pro diuersitate applicationis diuersos quoque constituit locos. Ea verò habet communem modum, quo se immediatè hominum animis insinuat, nempe Dei locutionem, seu dictionem ad extra, vt patet ex consuetudine Prophetarum sæpè repetentium, *hæc dicit Dominus,* quam dictionem, reuelationem, aut verbum Dei appellamus. Id verò proditum est posteritati scripto, vel verbo solum; ex quo duo sumuntur loca: alter est verbum Dei scriptum, quod scripturis canonicis continetur; alter verbum Dei non scriptum, quod traditiones Apostolicas, concilia, &

1. ad Cor. 15.

Ioan. 10.

Ioachim. Perion.

V.

Augustinus.

Patres appellant. Quoniam vero non sat est ad faciendam fidem verbum ipsum Dei, nisi nobis tale esse constet, opus fuit teste fide digno, cuius autoritate de illo certi redderemur: non est autem alius, quam Ecclesia, cui Deus commisit thesaurum verbi Dei, & dedit Spiritum sanctum, qui maneat cum ipsa in aeternum, Spiritum veritatis, qui docet, & suggerit omnia per verbum Dei reuelata: & ita Ecclesiae testimonium de verbo Dei est infallibile. Id verò triplici ratione praeber: vel vnico ore, & confessione vniuersi populi Christiani sub vno pastore Christi Vicario, & Petri successore Romano Pontifice, vel ore ipsius capitis de cathedra aliquid decernentis, vel denique per representationem pastorum in generali concilio legitime congregatis: & ita autoritas Ecclesiae triplicem quasi locum continet, ex quibus constat ita autoritatem diuinam quinque locis diffundi: duobus quidem prioribus continentibus immediatam reuelationem Dei, tribus alijs testimonium infallibile, siue propositionem certam, & indubitam reuelationis olim factae.

VI.

Autoritas verò creata diuiditur in Angelicam, & humanam, Angelica non est eiusdem rationis: variatur enim propter diuersum statum Angelorum, quorum alij beati, alij reprobi sunt, quia tamen vltus autoritatis Angelicae rarus est apud Theologos, non est cur in plures locos diuidatur. Autoritas verò humana, vel est de rebus gestis, & ita est locus ab historia, vel de dogmatibus aut principijs, siue Theologicis, siue naturalibus: si sit penes naturalia, est alter locus ab autoritate Philosophorum, siue illi à nostra fide alieni, siue Christiani sint: si verò sit penes dogmata fidei, aut conclusiones ex ipsis deductas ad tria genera reduci potest, aut enim sumitur ex antiquis Patribus, aut ex Theologis scholasticis, aut vtriusque iuris peritis. & ita emergunt tria alia loca nimirum vnus ab autoritate Patrum, ad quos interpretes sacrarum literarum, & spiritualis Theologiae tractatores reuocari possunt, alter ab autoritate Theologorum scholasticorum; tertius denique ab autoritate iuris peritorum, & ita sex loci sunt ab autoritate creata: quibus si addas locum à ratione, erunt septem: qui coniuncti quinque alijs ab autoritate diuina, constant numerum duodenarium locorum Theologicorum; sunt autem locus à verbo Dei scripto, à traditionibus Apostolicis, à comuni vniuersalis Ecclesiae sensu, à decretis Summorum Pontificum, à diffinitionibus

conciliorum, ab autoritate angelica, ab autoritate Patrum, Theologorum, iuris peritorum, sententia Philosophorum, ab historia, denique à ratione naturali: quae omnia ferè tradit Can. lib. I. de locis. cap. VI. tim. & copiosè tractat ceteris libris, & recentiores interpretes D. Thom. I. p. quaest. I. ad art. 8. non nulla ex ijs prosequuntur. Ego verò à longiore tractatione abstinbo: solummodo verò dicam de singulis, & ipsorum vsu, quantum sat erit ad sciendum, quae nam vis in sit probationibus in Theologia vsurpari solitis, & quae argumenta sint propria Theologo, quae extrinseca. Quod in progressu operis vsui erit, nè eadem semper repetere, & inculcare opus sit. Id tamen in commune praemoneo ex his omnibus, non sumi certum, & irrefragabile argumentum, sed ex quibusdam certum, ex alijs probabile, vt in singulorum explicatione constabit.

De sensu literali Scripturae Sacrae.

CAPVT II.

Verbum Dei esse dignum, cui fides habeatur, & assensum illi praestitum nequaquam aberrare à vero, solus negabit, qui Deum nescit: autoritas enim diuina, vt ait Augustinus, lib. 2. de ordine cap. 9. obtinet apicè omnis prorsus autoritatis, quia Deus, vt alibi ostendendum est, nec fallere, nec falli potest; atque adeò ubi cõstitit de verbo Dei, non est vlllo modo de eius veritate dubitandum. Quae opinio omnibus hominibus à natura insita est, vt perspicuè sumitur ex antiqua mortalium consuetudine consulendi oracula, quibus diuinam autoritatem inesse arbitrabantur: quam persuasione fides corroborat. Marci 13. Caelum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. & Psal. 116. veritas Domini manet in aeternum. & Psal. 118. in generatione, & generationem veritas tua. Nō itaque de verbo Dei certo dubitat, aut disputat Christianus, sed ipsum reuerenter suspicit vt normā, ex qua de ceteris iudicat: ob quam causam meritò affirmat Gregor. Nazianz. prima inuectiua in Iulianum satis post medium doctrinam Christianam esse Pythagoricam, non quidem quoad dogmata, sed quo ad perdiscendi modum; nam sicut Pythagorae discipulis ad amplectendam sententiam erat sufficiens, & irrefragabile argumentum, ipse dixit, ita Christianis ad credendum sufficit dixisse Deum, & Christum eius. Nec vllus hominum etiam à nostra fide alienus negabit